Philosophical Transactions

Please note: Due to an error in the print volume, the page numbering in this article may contain either page numbering skips, or page numbering repetitions, or both. However, the article content is presented in its entirety and in correct reading order.

Please click on "Next Page" (at the top of the screen) to begin viewing the article.

tent, which was equal to 25 ounces ½ of Common Water, allowing for the Iron and Pedeſtal. This Air, produc'd from Gunpowder, I find to be actuated by heat and cold as Common Air: For, holding my warm Hands upon the Receiver, the Mercury in the Gage would immediately deſcend, and riſe again when reduc'd to the temperature of the outward Air. This I repeated ſeveral times, with the like ſucceſs. What more occurs in this Experiment is, Why the Exploſions of the like quantities of Gunpowder ſhould be greater when Reſiſted by Air, than in *Vacuo*, where nothing ſeems to hinder the Extention of their flame.

VIII. Georg. Joſeph. Camel. *De Plantis* Philippenſibus *Scandentibus*; *Pars Tertia.* *Ad* Jacobum Petiver, *S. R. S. nuper tranſmiſſa.*

106. *Coculus Piſcatorius Levanticus*, ſeu *Orientalis*, Indis *Lagtan*, *Lactan*, *Libtang*, *Lingtangbaguin*, *Talataloroan*, *Soma* vel *Suma*, *Lanta* & *Tuba*. Univerſas *Indias* plurimis, maximiſque abundare volvulis, omnibus, qui *Indias* adierunt, conſtat: Ad quod, ut opinor, plurimùm facit continua illa, & *Indijs* plerumq; omnibus communis, continuò vernans, & ſemper florens *æſtas*. Hinc in *Luzone*, *Roſa*, *Malva* utraq; *Belmuſcus*, *Tuberoſus*, *Hyacinthus*, *Pancratium*, *Matricaria*, *Gumamela*, *Stramonium*, & nonnullæ arborum, nullo ſervato ordine aut tempore perpetuò florent. *Ruta*, *Majorana*, *Cheyri*, *Betonica*, *Mentha*, *Faba*, *Cicer*, *Braſſica*, *Carduus Benedictus*, & alia *Europæa* nunquam florere viſuntur; ſed ſtatu florem laturo, nova à radice protrudunt germina, ulteriori inſervientia propagationi: Hinc *Balimbin*, *Gamia*, *Papaya*, *Palan-*

Palantang, *Zapote*, *Caxel* & aliæ arbores ferme ſemper & flore, & fructu maturo, immaturòve onuſtæ conſpiciuntur. Hinc multæ Herbarum fruticeſcunt, ut *Fagaria*; Frutices arboreſcunt, ut triplex *Sambach* Arabum; plantæ aliæ in Volvulos excreſcunt arboreſcentes (quos *Bexucos* vocant; de *Bexuco* autem *Arundine*, & ita propriè dictos ſcripſi inter *Plantas humiles*, titulo *Arundinis farctæ*) vicinis altè, longèq; ſeſe inſternendo: Ex quorum numero & cenſu noſtra eſt planta *Cocculos levanticos*, ſeu *Baccas* ferens *piſcatorias orientales*, quæ *Radice* ſerpit longiſſimâ, craſſâ pro proportione plantæ. *Sarmentis* ſimiliter longiſſimis, quibus Arbores altiſſimas ſcandendo ſuperat; et, ut ferunt, nonnunquam centum Orgyiarum; craſſis uncias quatuor, & ſæpe brachium; ſcabris, ſubfuſcis, facie junioris *Quercûs*; horum, & radicum lignoſa materies levis eſt, corticoſa, poroſa, flavens, tingens, amara, ſubadſtringens, facilè friabilis aut raſilis, & tranſverſim diſſecta, triplici aut pluribus, affulatim, radiatimq; parallelis ferme circulis diſtincta. *Folia* ſubrotunda in mucronem abeuntia, ſpithameæ, aut pedalia, quinquenervia, per remotiora intervalla, ſpithameis alternatim appenſa pediculis. *Florem* aiunt exiguum eſſe, & candidum. *Fructus* in racemum congeſtus, ſat notus, de quo vide *Schroderum* in *Appendice*. Indi *Bayoti*, & *Talatalaroan* vocant, ob *Baccas* plurimas ſimul conglomeratas, quæ maturæ rubent, & in bicubitalibus racemis creberrimæ congeruntur, unde quandoque libræ ſex baccarum ex unico racemo colliguntur. *Radix* tantæ eſt æſtimationis apud *Indos*, ut vulgo *Radix omnia Sanans* audiat. Datur raſuræ *Radicis* aut *Sarmenti* ʒß, internè in diarrhæâ, inappetentiâ, concoctione læſâ, ciborum indigeſtione, ſeu cruditate, & exinde ortis ventris, & ventriculi cruciatibus, flatibus, colica. In peſte item, morbis contagioſis, Febribus malignis, intermittentibus, veneni periculo, Morbo Gallico, & obſtructionibus inſignioribus profuit *Petro de Sylva*, reiteratò datus potus ex Scobis Cort. Orient. *Sumæ*, *Caynta-*

næ,

na, *Alagao*, *Tumahela* aa ℈ß *Macayza* gr. jjj. M. Deforis imponendo Cataplaſma ex ijſdem *Sulphure*, *Aceto*, & *Oriza nigra* commixtis. Decoctum aut infuſum radicum viſum clarificat. Scobs vulneribus recentibus inſperſus ea cicatrizat, Ulcera humentia deſiccat, ſordida et putrida mundificat, detergit, & ſanat. Fructus *Bauhinus* contra pediculos, ad Podagram in, cataplaſmate *Riverius*, pro piſcatione medica *Zacchius Botanici*, & omnis *India* commendat. Attamen remedium magis efficax ad interimendos Crocodilos *Caymanes*, hujates *Indi* non habent. *Piſcationi medicæ deſervit* Cocculus piſcatorius orientalis. *Pinea Molucana*, ſeu *Curcas*. Fructus Arb. *Calbungan*. Nucleus fructûs tetragoni C. Cluſii, *Bitoon*. *Camayſa*, *Lugmon*. Folia *Apocyni* No 7. & 13. ſeu *Tibalau*, & 16. ſeu *Tuble*. Fruticis *Burao*, *Tigao*, *Culiſao*.

Lactang flavo tingens ſarmentum in mentem revocat *Gumi guttam*, quam *Sinarum* Vulgus *Tienng*, Mandarini *Thiengjuan* vocant, id eſt *Flavum Convolvuli*, cujus autem convolvuli neſcio. *Folium* pani *Gumi guttæ* impactum habui, bipalmum amplum, nervi à medio rectè excurrentes plures, & conjugati erant, parte ſupernâ fuſcum, infernâ alba obſitum lanugine, pediculus brevis. Unà cum hujus folij fragmento adhæſerat ſeminis putamen, nigrum, terſum, cranioſculum, & coronidis loco quaſi foraminulatum, ſimile putamini glandis *Colocaſſiæ*, & à Cocculi orientalis diſtinctum.

107. *Lactang altera*, Foliis, & fructibus luxuriat multò Fig. haberioribus.

Sect. IX. Scandentes *Juligeræ*.

108. *Piper longum uſuale* 1. Indi *Cagaſcas* vocant; fert Fi. *Folia* oblonga, ferme palmum lata, & vix non palmos duos longa, ſed & majora, aut minora, alterne exeuntia, nervis longioribus a medio procedentibus exarata, ſed minùs luculentis, quàm *Buyrocbuyioc*, ferventia, ſubamara,

atro virentia. *Fructus* ſeu *racemoſus Julus*, ut ſiccetur, colligitur immaturus, viridis, & antequam efloreſcat; floridus molleſcit, & flaveſcit, & crudus editur, aut aceto maceratur in acetarij. Provenit autem ſingularis e geniculo ex adverſo folijs, ut fructus *Betele*, & *Buyiocbuyioc*. *Flos* flavus eſt, & decuſſatim appenſus.

Fig. 109. *Piper longum uſuale*, & *edule* 2. Indi *Porongnangnito* vocant. Paſſim provenit, & ſpecialiter in monte *Quadelupe*. *Folium* habet priore minus, in quo nervi à medio excurrentes plures ſunt, & breviores, alternum, & magis mucronatum, fervens, nec amaricans. *Sarmenta* ejuſdem ſaporis. *Julum* é regione folij alternè enaſcentem, craſſitudinis fere digiti auricularis, longitudinis ſeſquiuncialis, in quo *Baccæ* virides, maturæ rubentes, *Coriandro* pares, ſparſim inſident.

Fig. 110. De *Betele*, *Betre*, *Tambut Arabum*, ſeu *Itmo* optimè, & fuſè *Garcias ab Horto*. Maſticatoriam vero illam *Offam*, hujatibus Indis *Mamin*, ſeu *Buyo* dictam, ab *Indis*, & *Hiſpanis* tantopere, imo vitioſè expetitam, ex folio *Betele*, *Bonga*, id eſt *Areca*, momento calcis ex *Oſtreorum* teſtis factæ, & tantillo ſeminis *Damoro*, id eſt *Dauci Cretici* componunt. Quod *Buyo* ne unquam deficiat (multi etenim cibo potiùs aliquamdiu, quàm *Buyo* abſtnere malunt) ſtatutis diebus ex Lacu *Baij*, ubi plurimum ſ colitur, *Manilam* certa navicula (præter quotidianas, incertas, & minores) folio *Betele*, & fructu *Arecæ* onerata venit. In tantum autem uſus, vel potiùs abuſus *Buyo* ſuccrevit; ut *Manilæ* ſumptus in *Betele* annuè ultra centum, & quinquaginta millia imperialium excurrant.

111. *Betule edulis ſpecies altra*. Omnes autem *Betele* veſci, uti & *Buyiocbuyioc*, ſeu *Betele* ſylveſtris medicinalis ſpecies, ſpecies ſunt *Piperis longi*, in umbroſis, lento reptatu, arbores Scandentes.

112. *Betele Maſticatorium*, ſeu *edule* 1. Indis *Itmo*. Reperitur duplex, Sarmenti rubri, & Sarmenti albi. Hoc Byſaiæ *Caninguguin*, id eſt *Cinamomeum*, illud, ſeu Sarmenti rubri *Catuanen* vocant: utrumq; valde aromaticum eſt, optimum

optimum præ cæteris, & laudatiſſimum; majoris virtutis *Indis* ſunt Sarmenta. *Folia* habet lata, ut *P. nigrum*, ſed magis tenera. *Fructus* exſiccatus, aut etiam Sarmenti fragmenta, foliorum loco deſerviunt in itineribus tranſmarinis.

113. *Betele Maſticatorium alterum*, Indis *Malaitmo*. *Folium* minus, minùs fervens, & maſticatum neſcio quid dulcedinis, & Saporis *Aniſi* reſipit. Hoc æſtimatur à fœminis.

114. *Betele veſcum* 3. Indis *Litlit*, *Saog*, & *Sanguilo*; in *Malabar*, & *Malayo Malabetre*. *Folium* fert magnum, oblongum; *Fructum*, ſeu *Julum* cinereo virentem, Julo *Betele legitimi* tenuiorem, & pipere longo duplo longiorem, aromaticum, mordicè acrem, & ſemine repletum; quem *Poro*, & *Deling* vocant; & pariter, ut *Julum* Piperis longi, & *Betele legitimi* aceto condiunt. Folio utuntur in defectu priorum.

115. *Betele veſcum* 4. Indus *Sabia*, & *Buyobuyo*; Nirembergius *Tlatlamcuaye* appellat. *Folium* gerit, & *Fructum* omnium maximum, ſpithameum, nervis a medio procedentibus ſine ordine, arcuatim reflexis. *Fructus* digitum craſſus, carnoſus, ſeſquiuncià longior, rubens maturus: in *Bay*, & *Tanauguan* vocatur *Oyon*, aut *Uiyon*. Fig.

116, 117, 118. *Betele* 5. 6. & 7. ſeu *Alagbati*, *Hunobalatri*, & *Bobon* minus aromatica ſunt præcedentibus.

119. *Betele* 8. ſeu *Ducmao* amaricat.

120. *Betele* 9. ſeu *Tolonſapa* malè olet.

Differunt ſapore, colore, magnitudine foliij, & fructûs. Sapor omnibus plus, minuſve fervens & aromaticus, cum quâdam adſtrictione. Hinc halitum, & fœtentem emendant animam; adſtringendo gingivas confirmant dentes; confortant ventriculum; reprimunt nauſeam, & vomitus; famem minùs moleſtare, & dolores quoſcunq; minùs ſentire faciunt maſticata per ſe, vel cum *Arecâ*, & concyliorum calce: inebriant etenim inaſſuetos. *Betele* compoſiti maſticati rubens *ſuccus* vulneribus recentibus conducit, præſertim partium verecundarum. *Folium*

ſub cinere coctum vertici imponitur utiliſſimè in rheumate; ventri in cholicâ; ventriculo in inappetentiâ, & doloribus á flatibus; fronti, & temporibus in dolore capitis. Succus aduſtis illitus non ſinit veſicas fieri; hydropicis propinatus aquas elutriat intercutaneas; contra venena, venenatorum animalium ictus, contagium, epilepſiam, tremorem cordis, ſcorbutum, & nauſeam exhibetur cum levamine. Vulneribus infuſus, & ipſum folium contuſum, calfactumq; ſuperimpoſitum, ea brevi cicatrizat. Succo *Betele* Byſaiarum *Indi* olim defunctorum corpora ſolebant condire.

Buyobuyo, vel *Buyiocbuyioc* vocant alias ſpecies *Betele ſylveſtris*, non veſcas, medicinales. *Buyobuyo*, id eſt *Buyo pumilum*, alijs *Itmonahas*, id eſt *Buyo Simiarum*.

Fig. 121. *Primum*, & minimum *Foliola* gerit vix uncialia, aut ſeſquiuncialia, formæ cordis bene effigiati. Gaudet Saxoſis: Saporis eſt acerrimi.

122. *Secundi* folia Piperis longi folijs minora; *Sarmenta* nigra, & aſpera; ſaporis ferventioris *Buyo legitimi*.

123. *Tertium* piper ſapit; *Sarmenta* viridibus maculis variegantur.

124. *Quarti* Sarmentum primò *Betele* ſapit, mox amaricat.

125. *Quinti*, Sarmenti color extimus luteus, intimus palearis; *cortex* craſſus, ſpongioſus, amarus cum ſtypticitate.

Fig. 126. *Sextum* longâ ſerpit *radice*, ut Piper longum; & pariter longis ſcandendo repit viticulis, crebrò geniculatis; ad quæ alternatim exeunt *folia*, Piperis longi modo oblonga, ſed ſeptem luculentioribus nervis diſtincta, morſicantia, ut piperis longi.

Vires. Omnes *Buyobuyo* ſpecies varijs deſerviunt remedijs: adduntur medicamentis alexipharmacis; imponuntur in cataplaſmate utiliter Membris ſyderatis, ventriculo in vomitibus, dolore, diarrhœâ per ſe, vel cum alijs; in impotentiâ ex philtro propinatur pulveris radicum quinti

ad

ad ʒj cum aquâ cinamomi ; vulneratis verò ſagittis intoxicatis cum marinâ, vulneratis à viperâ cum *Manulgal*, & vulneri imponitur.

127. *Betele Monſtroſum fatuum* vocabimus plantam, quam Indi *Tampinbanal*, *Bilaco*, *Tirbatib*, vel *Dibatib*, *Dalicucup*, *Balicucup*, *Pacpaclavin*, *Daiya*, *Malapaepacbalavay*, id eſt *Betele Milvi*, *Tarhan*, *Tacoling*, & *Horog* vocant ob ſimilitudinem fructûs, etſi monſtroſum. Videtur autem eſſe *Lignum Colubrinum*, *Hederaceum*, *foliis Bryoniæ Acoſtæ*. Vide Sciagraphiam Stirpium *Dom. Chabræi* fol. 123. *Folia*, qualia *Chabræus* deſcribit, cubitalia, & ſeſquicubitalia. *Radix*, ſeu mavis ſarmentum craſſum 4 aut 8 unciarum, geniculatum, virens, terſum, ad genicula radiculas emittens, ut *Betele*. Utuntur radice ad dentes denigrandos, ut apicibus arboris *Tariſay*, ſeu *Hitam*. *Fructus* eſt Spithameus, oblongus, coloris ex cinereo viridis, totus teſſellatim ſquamoſus, ut fructus *Athe*, compactus ex dentibus, ut fructus *Nino*, ſtrobilus. Folio ſub cinere cocto utuntur utiliſſimè in junctura rum diſlocationibus, doloribus ex luxatione, & tumore teſtium ; vocant *Tampus*, ſeu *Haclup* ipſam plantam, id eſt cataplaſma, ab uſu, cui deſervit. Sarmento vires *Guaiaci* tribuunt, & ad Hydropem commendant. Fig.

Sect. X. Scandentes, *flore campanulato, & plura ſemina in uno pericarpio habentes.*

128. *Smilax lævis*, ſeu *Liguſtrum album majus Luzonis*, *Lactaria Mezues*, *Scammonij*, aut *Mechoacæ* ſpecies, Indis *Togdalag*. Altiſſimè autem quàm plurimis, longiſſimiſq; ſcandit *funiculis*, rubentibus, verrucoſis, ſeu nodoſis. *Folium* alternum ad ſummitates proveniens amplum eſt, rotundiuſculum, & in mucronem deſinens, ut folium *Mechoacanenſis Volvuli*, aut *Scammoneæ Monſpeliacæ*, ſed alterum, non conjugatum: Magis autem adulta folia, alia quaſi *Campanæ cæruleæ* evadunt tricuſpidata, alia quinque-lobata, Fig.

lobata, ut folia *Bryoniæ*. *Flos* magnus, candidus, campanulatus, ut flos Stramonij, bipalmum hians, adaperitur noctu, interdiu ſolis marceſcit calore, quo à *Convolvulo Bonæ noctis* differt: Ex ſpithameo tubo umbilicus, & quinæ ſupereminent ſtamina, crocis faſtigiata. *Semen* in vaſculis, qualia *Convolvuli Bonæ noctis*, oblongum, nigrum, albâ, ſpongioſâ, & dulci, uti eſt fructus *Chamochili*, obvolutum maſſâ. *Radix* longa, comata cirris. Cæterùm tota copioſè lacteſcit planta. Uſûs nullius, quod ſciam; *Chabræus* Smilacem lævem reſolvere, maturare, detergere, & aperire ſcribit.

129. *Smilax lævis*, ſeu *Liguſtrum album alterum* ex Java allatum; cauliculos impellit pauciores, nec rubentes, nec verrucoſos. *Folia* tantummodo ſubrotunda. *Flores* ſimiles etiam prioris, ex prælongo, graciliq; tubo in calathum quinis hemicyclis radiatum abeuntes, præcoces, crebriores, & ſuaveolentes; verùm ſimiliter, ut *Convolvuli Bonæ noctis*, contrario modo, noctu videlicet dehiſcunt, oriente ſole marceſcunt. *Semen* eſt album, oblongum, ut prioris, in vaſculo ex rotundo mucronato. *Radix* alba, cirroſa.

130. *Smilax*, ſeu *Liguſtrum Luzonis cæruleo-purpureum*. Sarmentoſo-lignoſis virgultis arboribus innectitur, & irretitur. *Folia* alterna, ſubrotunda, obtuſa, palmaria, craſſa, hirſuta & incana. *Flos* palmaris eſt Campana, dilutâ tincta purpurâ; & ſtellâ candidâ, ac hirſutâ gratioſâ diſcriminata. *Vaſculum* folliculoſum, orbiculare, & lacteſcens, anguloſa & nigra habet ſemina.

131. *Campana purpureo-violacea* fluvij *S. Petri*, Indis

132. *Campana nitidiſſimè cærulea*. Indis

133. *Smilax*, ſeu *Liguſtrum Luzonis flavum*, Viticulos habet lacteſcentes; *folia* palmaria, alterna, hederacea; *florem* uncialem campanam, flavam, decem hemicyclis limitatam; *Semen* parvum in orbicularibus vaſculis.

134. *Campana alia*, ſeu *Convolvulus albus minor*. Planta tota ſubhirſuta, vix lacteſcit: *Folia* palmaria, & majora, ex ſubrotundo mucronata: *Flos* campanula ſolem ſuſtinens,

decem

decem hemicylis marginata, pallida, cujus Stella flaveſcit, infundibuli autem umbo atrè purpuraſcit: *Semen* in orbiculari, & ſeſſili nodo, foliolis inſidente, quaternum, quaſi ex triangulari lenticulare, dilutè fuſcum, durum.

135. *Gulingulin* Volvulus, vel *Campana* lacteſcens. *Caulículos* ſpargit crebros, triquetrè criſtatos, rubentes, vietos, & pertinaces. *Folia* ſunt hederacea, alterna, mucronata; *Semen* grana nigra magnitudine Piſi, communiter quatuor in uno pellucido, & tenuiſſimo pericarpio, quinis convexis, & majoribus inſidente alabaſtris.

136. *Campana flore congeſto prima.* *Folio* luxuriat hedera- Fig.
ceo, pubeſcente, vario, ſubrotundo, oblongo, aut tricuſpidato. *Semen* nigrum, anguloſum, piloſum, in pericarpijs ſimilibus *Campanæ Lazureæ*, quinqueangui inhærentibus caliculo, ſed non ſparſim, ut in illâ verùm in corymbum majorem ex ferme 80 aut 90 congeſtum.

137. *Altera* ſimile huic gerit folium, uti & ſeminis pericarpia in Corymbum congeſta, at minora; & ſemen cinereum minus, & pilis carens.

148. *Campana alba folio heptaphyllo.* **Incana eſt Planta, & villoſa. *Folia* alterna, in longis pediculis, in ſeptem diviſa lobos; é quorum regione *Flos* campanulatus, albus decem radiatus hemicylis, et Stella quinq; radiorum ornatus. *Semen* parvum, et nigrum, in duplici, folliculoſo vaſculo, aut Calice.**